

Att. 14,12,1

O mi Attice, vereor, ne nobis Idus Martiae nihil dederint
praeter laetitiam et odii poenam ac doloris.
... ὡ πράξεως καλῆς μέν, ἀτελοῦς δέ. [...]
(§ 2) Nobiscum hic perhonorifice et peramice Octavius.
quem quidem sui Caesarem salutabant;
Philippus non, itaque ne nos quidem.
quem nego posse esse bonum civem;
ita multi circumstant,
qui quidem nostris mortem minitantur [...].

Att. 14,13,3

nos autem id videamus,
quod in nobis ipsis esse debet,
ut, quicquid acciderit,
fortiter et sapienter feramus et accidisse hominibus meminerimus,
nosque cum multum litterae tum
non minimum Idus quoque Martiae consolentur.

Att. 15,2

Quod scribis te nescire,
quid nostris faciendum sit,
iam pridem me illa ἀπορίᾳ sollicitat.
itaque stulta iam Idum Martiarum est consolatio.
animis enim usi sumus virilibus,
consiliis, mihi crede, puerilibus.
excisa enim est arbor, non evulsa.

off. 1,1

Quamquam te, Marce fili,
annum iam audientem Cratippum
idque Athenis
abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae ...

Att. 16,11,4

Quod de inscriptione quaeris, non dubito quin καθῆκον „officium“ sit,
nisi quid tu aliud;
sed inscriptio plenior „de officiis“. cf. 15,13a,2

off. 1,4

nulla enim vitae pars
neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus,
neque si tecum agas quid,
neque si cum altero contrahas,
vacare officio potest
in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis
et in neglegendo turpitudo

off. 1,15

honestum ... versatur ...

I in perspicientia veri sollertiaque
II in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique
III in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore
IV in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur ordine et modo,
in quo inest modestia et temperantia

off. 1,125 f.

Ita fere officia reperientur, cum quaeretur,
quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus.
Nihil est autem quod tam deceat quam
in omni re gerenda consilioque capiendo
servare constantiam.
Sed quoniam decorum illud
in omnibus factis, dictis, in corporis denique motu et statu cernitur ...

off. 3,2

... nostrum autem otium negotii inopia,
non requiescendi studio constitutum est.
Extincto enim senatu deletisque iudiciis
quid est, quod dignum nobis
aut in curia aut in foro agere possimus?

Att. 16,9

Binae uno die mihi litterae ab Octaviano,
nunc quidem, ut Romam statim veniam;
velle se rem agere per senatum.
cui ego non posse senatum ante K. Ianuar.,
quod quidem ita credo. ille autem addit „consilio tuo“.

Att. 16,15,3

quamquam enim in praesentia belle iste puer retundit Antonium,
tamen exitum exspectare debemus.
at quae contio! nam est missa mihi.
iurat ita sibi parentis honores consequi liceat,
et simul dextram intendit ad statuam.
μηδ σωθείην ὑπό γε τοιούτου !

Brut. 5,2f.

Itaque res in eum locum venerat,
ut, nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset,
in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antoni veniendum fuerit,
quocum vides hoc tempore ipso
quod sit quantumque certamen;
id profecto nullum esset,
nisi tum conservatus esset Antonius.
Sed haec omitto;
res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis
repellit omnes reprehensiones ...

ad Brutum 9,1

Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis.
Utinam tam facile eum florentem et honoribus et gratia
regere ac tenere possimus,
quam facile adhuc tenuimus!
Est omnino illud difficilis,
sed tamen non diffidimus.

fam. 11,20,1 von Decimus Brutus

[...] novissime Labeo Segulius, homo sui simillimus,
narrat mihi apud Caesarem se fuisse
multumque sermonem de te habitum esse.
ipsum Caesarem nihil sane de te questum,
nisi dictum quod diceret te dixisse:
„laudandum adulescentem, ormandum, tollendum“;
se non esse commissurum, ut tolli possit.
hoc ego Labeonem credo illi rettulisse aut finxisse dictum,
non ab adulescente prolatum. [...]

fam. 1,21,1 an Decimus Brutus

Dei isti Segulio male faciant,
homini nequissimo omnium,
qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt!
quid?
tu illum tecum solum aut cum Caesare?
qui neminem praetermisserit,
quicum loqui potuerit,
cui non eadem ista dixerit.
te tamen, mi Brute, sic amo, ut debeo,
quod istud quicquid esset nugarum
me scire voluisti;
signum enim magnum amoris dedisti. [...]

off. 1,18 f.

Omnes enim trahimur et ducimur ad
cognitionis et scientiae cupiditatem,
in qua excellere pulchrum putamus,
labi autem, errare, nescire, decipi
et malum et turpe putamus.
In hoc genere et naturali et honesto
duo vitia vitanda sunt,
unum, ne incognita pro cognitis habeamus
hisque temere assentiamur,
quod vitium effugere qui volet
- omnes autem velle debent -
adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam.
(19) Alterum est vitium,
quod quidam nimis magnum studium multamque operam
in res obscuras atque difficiles conferunt
easdemque non necessarias. ...
... Cuius studio a rebus gerendis abduci
contra officium est;
virtutis enim laus omnis in actione consistit.
A qua tamen fit intermissio saepe
multique dantur ad studia redditus;
tum agitatio mentis, quae numquam adquiescit ...